

recordationis Clemente VIII. et Paulo V. super questione de Auxiliis gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum et Theologorum, qui, ut assertit, prædictis interfuerunt Congregationibus; nec non quoddam autographum seu exemplar assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ questionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu: eadem Sanctitas sua præsentis hoc suo decreto declarat ac decernit, prædictis assertis Actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, et Autographo sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super questione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. et Urbani VII. suorum prædecessorum.

Augustinus Le Blanc in Præfatione suæ historiæ §. 12. contendit, INNOCENTII decreto prædictis actis interdictam esse fidem, non quidem humanam et historicam, sed publicam duntaxat, juridicam, contentiosam, quæ nempe valere in judicio possit. Ast e vestigio occurrit adversæ partis Historicus Eleutherius art. 10. et 11. Præfationis ad suam historiam; ubi advertit huic exceptioni plurima repugnare.

Obstant 1º., inquit, decreti verba, quæ generalia sunt, nihilque excipiunt, nullam omnino fidem esse adhibendam; ac proinde sive juridicam, sive historicam fidem iis actis eripit.

Obstat 2º. finis et scopus decreti: si enim unica duntaxat, quæ in judicio valere possit, juris fides exclusa dicatur INNOCENTII decreto, otiosum plane fuisset ac inutile: jam enim solemnibus decretis Societatis de gratia doctrinam in Ecclesia doceri permiserat PAULUS V., et sub gravissimis pœnis vetuerat, ne quis illam censura quapiam notaret: neque ullus exinde fuit, qui ex prætensis congregationum Actis Jesuitas in judicio convenire et damnatæ doctrinæ arguere ausus fuerit.

Obstant 3º. circumstantiæ loci, temporis, nec non personarum, quæ dubiam saltem et incertam reddunt eorum instrumentorum auctoritatem: id imprimis, quod nempe non ante e tenebris eruta illa fuerint ac vulgata, quam e vivis excessissent PAULUS V., Cardinales in Auxiliorum congregationes asciti, alique, qui interpolatores falsi convincere potuissent.

Ex his omnibus infert Molinæ vindex, quæ circumferuntur congregationum acta, esse fidei ut minimum dubiæ atque suspectæ, taliaque, quibus nemo prudens citra deceptionis aleam assentiri possit, aut debeat. Hactenus Tournely.

DISPUTATIO VI.

DE GRATIA HABITUALI, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

CAPUT II.

DE GRATIA HABITUALI.

ARTICULUS I.

QUENAM SIT ENTITAS GRATIÆ HABITUALIS?

397. *Nota.* Calvinus in sola peccatorum remissione justificationem posuit; Lutherus, Bucerus, Osiander, quin et Pighius statuerunt non minus hanc gratiam, quam causam justitiæ formalem in aliquo extraneo sine ulla intrinseca justitiæ acquisitione, quatenus volebant justificari hominem per favorem Dei mere extrinsecum, vel per justitiam Dei et Christi sive increatam, sive creatam, nobis duntaxat imputatam. Inter Catholicos Magister Sententiarum, quatenus charitatem non distinguit a Spiritu sancto, videtur gratiam istam constituere in dono increato. Vasquez salva fide doceri posse existimat, quamvis ipse non doceat, adultos formaliter justificari per actus virtutum theologiarum, atque hinc gratiam justificantem reponi posse in his actibus physice præteritis et moraliter perseverantibus. Alii conveniunt in eo, quod statuunt gratiam hanc esse qualitatem creatam, homini intrinsecam, ac physice permanentem; velintque eam recte dici habitualem.

398. *Dico I.* Gratia habitualis non est favor Dei mere extrinsecus, aut justitia tantum imputata; sed donum homini intrinsecum. Ita TRID. Sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Similiter præmiserat ead. Sess. cap. 7. *Formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritus mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justii nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes.*

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Hæc enim 1º. dicit, Deum per justificationem esse, habitare et permanere in nobis. 1. ad Cor. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Joan. 14.

v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

2°. Docet gratiam dari et diffundi, fieri, esse et manere in nobis. 2. ad Cor. 1. v. 22. *Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te.* 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, etc.*

3°. Tribuit gratiæ effectus, qui sine interna affectione intelligi nequeunt: quales sunt renasci, regenerari, renovari spiritu, fieri consortem naturæ divinæ. Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit, etc.* 2. Petr. 1. v. 4. *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, etc.*

II. EX TRADITIONE. Et quidem 1°. licet antiquiora Concilia parum ad habitualement gratiam attenderint, cum de sola fere actuali gratia litigarent hæretici: eam tamen etiam parvulis infundi, inhærere ac internam esse judicavit ut probabile INNOC. III. cap. *Majores* de Baptismo; Conc. VIENN., ut habetur in Clementina, *Ad nostrum*, assumpsit ut probabilius; TRID. denique loco cit. definivit ut de fide certum.

2°. CONSONANT PATRES, quorum testimonia a BELLARMINO CONTROV. t. 4. de Justif. L. 2. c. 8. et a PETAVIO L. 8. de Trin. c. 4. et 5. collecta ad triplicem illam probandi rationem facile reduci possunt. NAZIANZ. OR. 41. n. 11. (edit. Benedict. Paris. 1778.), explicans triplicem Spiritus sancti communicationem per depulsionem morborum, per insufflationem Christi in Apostolos, et per adventum sub linguis igneis factam, hæc subjungit: *Verum primo quidem obscure, secundo expressius, nunc vero perfectius: ut qui non jam operatione sola præsens sit, ut antea; sed substantiali, ut sic loquar, modo adsit ac simul versetur. Decebat enim, ut, cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo nobiscum modo versaretur, et, cum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet.* S. AUG. L. de Sp. et litt. c. 9. ait: *Justitiæ autem Dei per fidem Jesu Christi, hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic et illa justitia, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum: sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Quibus similia de charitate ibid. c. 32. n. 56. repetit. CYRIL. ALEX. L. 34. Thesaur. (opp. t. 5. p. 1°. p. 352. E.): *Spiritus sanctus per se ipsum in nobis operatur, vere sanctificans et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat, ac divinæ naturæ participes reddit.*

Accedunt illi, qui ea verba Genesis: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, non de sola animæ rationalis creatione, sed de justitia et sanctitate potissimum interpretantur; quales sunt CYRILL. dial. 4. de Trinit. (opp. t. 5. p. 1°. p. 532. C.) CYRILL. HIEROS. catech. 17. n. 12.; hi enim gratiam habitualement omnino esse *intrinsicam* homini manifeste declarant, vel supponunt.

III. EX RATIONE. 1°. Deus nequit amare hominem amore supernaturali, nisi eum vel inveniat, vel reddat *dignum* tali amore et cum eo proportionatum; alias enim non amaret, nisi indignum hoc amore et cum eo non proportionatum: sed illa dignitas et proportio sive supposita, sive facta, est homini

intrinsicæ; cum hoc de *prima* pateat, si daretur: sed cum non existat prior, debeatque admitti posterior, idem dicendum est de *secunda*; præsertim cum dilectio divina sit efficax et actiosa, et tamen extra hominem nihil efficiat; ergo.

2°. Per gratiam reddimur *fili Dei*, et quidem per adoptionem tales; at non per adoptionem mere legalem et declarationem, sed sublimioris generis, quæ novam in nobis generationem, nativitatem, vitam, salutem et spiritum efficiat; ut dictum est in probatione 1°. : sed hæc intelligi nequeunt sine *intrinsico*; ergo.

3°. Ad justitiam requiritur ut homo *interius* sit bene affectus ad opera justitiæ et habeat eorum potentiam quasi *connaturalem*; uti ex dictis contra *Pelagianos* colligitur: sed hæc non præstantur sine aliquo *intrinsico*; ergo.

399. *Obj.* Nulla in nobis est justitia, sed tantum nobis imputatur; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Ad Rom. 4. v. 3. dicitur: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*; 2°. ibid. v. 5. additur: *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*; 3°. denique v. 8. asseruntur hæc Davidis verba: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; ergo.

R. *ad Arg. N. A. ad prob. D. C.* Ergo justitia Dei aut Christi nobis imputatur N. fides cuilibet propria et *intrinsicæ*, *subd.* imputatur et reputatur in justitiam, quatenus fides sit ipsa justitia aut ex se justitiam pariat et producat N. quatenus acceptatur ad justitiam a Deo, qui propter fidem formatam nobis largitur et infundit gratiam, reputatque nos justos amicos et filios suos C. sicut Apostolus ad Galat. 3. v. 6., ubi eadem sententia de imputatione fidei ad justitiam utitur, sic et hic prioribus textibus duntaxat statuit, justificationem non ex *operibus legis*, sed ex fide et gratia suam habere initium: minime vero negat justitiam nobis *inhærentem*, aut asserit justitiam nostram esse justitiam Dei vel Christi, nobis *extrinsecæ* imputatam.

Nam λογίζεσθαι seu reputare, rationem et computum significat, et est verbum arithmeticum. Itaque sicut merces, quæ computatur et numeratur fessori aut messori, non per heri imputationem vel æstimationem, sed per propriam laboris computationem, rationem et æstimationem, est merces: ita pariter justitia a Deo nobis computata et annumerata, non per solam computantis imputationem, sed per se ipsam, suamque *intrinsicam* rationem computatur, æstimatur, et reipsa est vera et realis justitia.

In *textu postremo*, Deum non imputare alicui peccatum idem significat, ac aliquem non habere peccatum; quia ex eo, quod quis peccatum non habeat, sed vitet et caveat, sequitur, quod Deus illi peccatum imputare nequeat. Duas enim beatitudines Apostolus ex Psalte refert; prior est: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*; h. e. Beati sunt, qui a peccatis sunt expurgati, justificati, et charitatis stola tecti et amici: posterior: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; h. e. Beatus, imo beator est, qui postquam a peccatis est expurgatus, juste deinceps vivit, omnique studio vitat peccata, ita ut nihil mali faciat, quod Deus ipsi in peccatum imputare possit. Porro *imputari* alicui peccatum, non est tantum reputari in aliquo peccatum, sed illi etiam reipsa inesse; præsertim cum

Deus, qui iuste iudicat, in peccatum imputare et quasi peccatum punire opus nequeat, quod vere in se non est peccatum.

Inst. 1. Christus est nostra iustitia, et per hunc justificamur; ergo. *Prob. Ant.* In 1. ad Cor. 1. v. 30. de Christo dicitur: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi;* ergo.

R. D. A. Christus est nostra iustitia efficienter, et per hunc tanquam causam efficientem et meritoriam justificamur *C.* Est nostra iustitia formaliter, et per hunc tanquam causam formalem justificamur *N.* *Prioris* textus est sensus, quod non propriis viribus, sed beneficio mortis Christi acceperimus doctrinam fidei, iustitiam, aliaque gratiarum munera. Præterea eodem modo dicitur Christus *nostra iustitia*, uti hic sapientia, et Deus in Psalmis fortitudo, virtus, patientia, salus et protectio vocatur; quæ omnia *metonymice*, posita nempe causa pro effectu, accipienda sunt.

In *posteriori* textu quamvis instituatur comparatio inter inobedientiam Adami et obedientiam Christi, ac utriusque tum vitii, tum virtutis fructus; tamen multiplex tum ab Apostolo ibidem, tum a Patribus hoc loco asseritur antithesis et diversitas; inter quas et illa est, quod peccatum Adami sit *moraliter nostrum*, et ut *TRID. Sess. 5. Can. 3.* ait, omnibus inest unicuique proprium; secus vero sit de merito Christi.

Præterea vero, ex facta *comparatione* potius contrarium sequitur. Nam sicut ad contrahendum actu peccatum originale necesse est ex Adamo *naturaliter* nasci, ita ad iustitiam Christi participandam necesse est ex eo nasci *spiritualiter* per baptismum: ex hoc autem sequitur, quod, sicut inobedientia et peccatum Adæ realiter nobis inest, non autem duntaxat nobis imputatur; ita multo magis nobis insit ac inhæreat gratia Christi, nec tantummodo imputetur.

Inst. 2. Non aliter in nobis est iustitia, quam in Christo peccatum: sed in Christo est peccatum sola imputatione; ergo et similiter iustitia in nobis sola est imputatione. *Prob. M.* ex 2. ad Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Ex *Aug.* in *Ench. c. 41.* *Ipsæ ergo peccatum, ut nos iustitia: nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.*

R. D. M. Non aliter nobis inest iustitia, quam in Christo est peccatum; acceptum pro actu aut macula peccati *N.* Peccatum acceptum pro sacrificio oblato ad satisfactionem pro peccato *C.* In textibus allatis non agi de peccati macula, sed de *sacrificio* pro peccatis, liquet tum ex ipsis verbis Apostoli, qui non dicit: *Is, nempe Christus, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum;* sed *Deus Christum nobis peccatum, h. e. sacrificium pro peccatis fecit;* sacrificium autem hoc Christus reipsa et vere, non tantum imputative fuit: unde *S. Aug. l. cit.* sic ait: *Propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis: quod vere iste factus est, cujus umbra erant illa.*

Cæterum sensus Apostoli et *Aug.* est, quod sicut causa efficiens et merito-

ria passionis Christi non est peccatum, quod ipsi merat, aut ab eo commissum, sed peccatum nobis inhærens, et nostrum; sic causa efficiens ac meritoria, qua justificamur, non est nostra iustitia, sed Dei; nec in nobis; sed in ipso: attamen ut Christus ob peccatum, quod nobis inerat, vere factus est *sacrificium* pro peccatis; ita ob iustitiam, quæ est in illo; vere accipimus gratiam, vitam spiritualem ac spiritus novitatem.

Inst. 3. Justificare nihil aliud significat, quam *absolvere* accusatum et declarare innocentem: ad *Eph. 4. v. 24.* iustitia habet se per modum *vestis*; vel indumenti: justificamur non in nobis, sed in Christo; ut ibidem dicitur *c. 1. v. 6.* *Gratificavit nos in dilecto filio suo;* ergo, justificationis forma est quid mere extrinsecum, et vel remissio aut carentia peccati, vel favor Dei extraneus.

R. Quoad 1^{um}. D. Justificare iudicè ac in foro civili nihil aliud significat, quam etc. *C.* theologice et in foro Ecclesiæ *subd.* subinde *C.* semper *N.* Etiam a Scriptura justificationis vox quadrupliciter usurpatur; 1^o quidem pro declaratione innocentie, ut *Isa. 5. v. 23.* *Qui justificatis impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo.* 2^o Pro divina lege, qua iustitiæ præcepta proponuntur, ut *Ps. 118. v. 5.* *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* 3^o Pro interna animi sanctitate et rectitudine; ut ad *Rom. 4. v. 5.* *Credenti in eum, qui justificat impium.* 4^o Pro iustitiæ incremento, ut *Apoc. 22. v. 11.* *Qui iustus est, justificetur adhuc.* Ex his primam *Novatores* duntaxat admittunt, nos autem maxime tertiam cum Catholicis exigimus et probamus.

Quoad 2^{um}. D. Iustitia se habet per modum indumenti corporalis *N.* per modum indumenti spiritualis *C.* Indumentum etiam *materiale* corpori adiacet, ut penitus extraneum dici non possit: quamvis vero in eo *spirituale* cum corporali indumento conveniat, quod, sicut vestis corpus, ita gratia animam exornet, hæc tamen in ratione intrinseci illam superat; cum de virtutibus dicat Apostolus ad *Coloss. 3. v. 12.* *Induite vos... viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, etc.;* imo ipse Deus *decorem ac fortitudinem indutus* *Ps. 92. v. 1.* dicatur.

Quoad 3^{um}. N. *Ass.;* tum quia, quo modo Christi, eodem etiam gratiæ fit mentio, ut ex integro textu patet: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo:* tum quia præpositio in hoc ipso in capite usurpatur loco præpositionis *per*, adeoque causam efficientem significat; ut liquet ex *v. 10.* *Instaurare omnia in Christo;* *v. 11.* *In quo et nos sorte vocati sumus;* *v. 13.* *in quo et credentes signati estis, etc.*

Inst. 4. Justificatio hominis fit per *adoptionem*, qua filii Dei nominamur et sumus: sed adoptio est favor duntaxat extrinsecus; ergo.

R. D. m. Adoptio civilis et humana est favor duntaxat extrinsecus *C.* adoptio theologica et divina *N.* Prior est tantum relatio rationis, tribuit solum jus filii, nec communicat naturam adoptantis adoptato, aut aliquam participationem ejus, vel physicum quid efficit: posterior fundat relationem realem, tribuit *generationem* quamdam spiritualem, facit participationem et consortium divinæ naturæ, ponitque in creatura formam aliquam absolutam; ut ex dictis constat.

Inst. 5. Homo hominis gratiam habet per benevolentiam tantum extrinsecam; quin et Deus hominem odio habens nihil facit in homine; ergo